



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. Utrùm potestas condendi leges, sive civiles, sive ecclesiasticas,
dependeat à fide, aut moribus legislatoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

in gubernando, quæ uniformitas & constantia ad bonum commune & publicam felicitatem requiritur. Ergo, &c.

ARTICULUS II.

Utrum potestas condendi leges, siue civiles, siue ecclesiasticas, dependeat à fide, aut moribus legislatoris.

RESPONSIO.

Potestas condendi leges, siue civiles, siue ecclesiasticas, non dependet à fide, aut moribus legislatoris.

Est de fide contra Vviclef & Joan. Hus, quorum doctrinam damnavit Synodus Constantiensis sess. 8. & 15. in hac propositione: *Nullus est dominus civilis, nullus est prelati, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.* Quibus verbis hæretici docebant per peccatum mortale potestatem legislativam, tam civilem, quam ecclesiasticam, amitti, vel saltem ita impediti, ut legislator, siue civilis, siue ecclesiasticus, nihil possit valide præcipere, quandiu existit in statu peccati mortalis. Contra illos autem

Prob. Resp. pro potestate civili, ex Apostolo Rom. c. 13. ubi loquens de Principibus secularibus, qui tunc temporis imperabant, sic ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt...* Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam... *Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes.* Atqui Principes seculares, qui tunc temporis imperabant, erant infideles & improbi. Ergo ex Apostolo etiam, qui fideles sunt, tenentur in conscientia subditi esse, & obedire Principibus secularibus, etiam infidelibus & improbis: ita ut qui illis resistunt, leges eorum transgrediendo, Dei ordinationi resistant, & resistendo damnationis reatum incurant: unde illis obtemperare necesse est, non solum ad vitandas penas, legum transgressoribus impositas, sed etiam ne lædatur conscientia, quia quantumvis infideles & improbi, spectandi sunt ut ministri Dei, volentis per illos, & leges ab illis latas, communitatem regere in temporalibus. Ergo, &c.

Ratio à priori est, quia homines in perfectam communitatem convenientes, ex natura rei, & ita necessario conferunt in illam communem & supremam potestatem regendi, & leges ferendi talem, qualis requiritur ad utilem & convenientem administrationem, seu qualis requiritur ad publicam felicitatem procurandam. Ad hunc autem finem requiritur communis & suprema potestas regendi, & leges ferendi, in esse & in operari prorsus independens à fide & probitate hominum.

Prob. 2. pro potestate Ecclesiastica, ex epist. ad Hebr. cap. 13. ubi Apostolus loquens de Prælati Ecclesiasticis, dicit: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis,* nulla distinctionem proborum ab improbis facta. Nec dic verba Apostoli intelligenda esse cum restrictione ad probos præpositos: nam hæc restrictio nullum planè fundamentum habet aut in alia Scriptura, aut in traditione, aut in rei natura: neque enim iurisdicção Ecclesiastica talis est ex se, ut aut non possit esse in homine improbo, aut non possit ab illo valide exerceri, quandiu improbus est.

Ratio à priori est, quia potestas spiritualis ad hoc Deo instituta est, ut utiliter & convenienter administraretur communitas Ecclesiastica, ejusque bonum commune procuraretur. Ergo residere potest in subiecto, & ab eo valide exerceri, per quod communitas Ecclesiastica potest utiliter & convenienter administrari, ejusque commune bonum procurari. Atqui homo etiam improbus potest utiliter & convenienter administrare communitatem Ecclesiasticam, ejusque bonum commune procurare, iusta præcipiendo. Ergo, &c.

Potestas igitur condendi leges Ecclesiasticas non pendet à moribus Prælati Ecclesiastici. Idem propter eandem rationem dic de illius fide: nam Episcopus v. g. cum hæresi interna potest utiliter & convenienter per iustas leges administrare suam diocesim in ordine ad bonum commune Ecclesiæ, & aliunde propter illam non est excommunicatus, aut alio modo extra Ecclesiam. Sed ex occasione data,

Quæres, utrum iurisdicção ecclesiastica pendeat saltem ab externa veræ fidei professione Prælati Ecclesiastici.

R. affirmativè. Nam v. gr. Episcopus publicè & notoriè hæreticus, hoc ipso quod publicè & notoriè hæreticus est, amittit omnem iurisdicçãoem Ecclesiasticam. Ratio est, quia non est amplius in Ecclesia; quia per notoriam hæresim ipse se separat. Ergo jure divino, tum positivo, tum etiam naturali, privatur & spoliatur omni iurisdicçãoe ecclesiastica: positivo quidem, quia Christus iurisdicçãoem ecclesiasticam instituit, ut exercendam per membra Ecclesiæ; non est autem membrum Ecclesiæ, qui est extra Ecclesiam: naturali verò, quia ex natura rei repugnat illum habere iurisdicçãoem, qui non habet subditos: iurisdicção enim est potestas superioris, & superior esse non potest sine subditis. Sed qui non est amplius in Ecclesia, nec habet, nec habere potest fideles sibi subditos in spiritualibus: nam si haberet, simul esset in Ecclesia, & extra Ecclesiam: esset extra Ecclesiam, ut supponitur; esset etiam in Ecclesia, quia adhuc cum fidelibus sibi subiectis in spiritualibus unum corpus morale efficeret, quod profectò esset Ecclesia, & cujus ipse esset caput.

Accedit consensus Patrum & Summorum Pontificum, apud Bellarminum lib. 4. de Eccles. militante c. 10. quorum aliqua hic referemus testimonia. 1. itaque S. Cyprianus lib. 1. epist. 6. ad Magnum sic ait: *Didicimus omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis ac iuris.*

2. S. Augustinus in Enchiridio cap. 65. ita loquitur: *Rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsent, tempora pœnitentia, ut fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur, defectu scilicet, non potestatis ordinis, sed iurisdicçãois in foro interno. At si ii qui sunt extra Ecclesiam, carent iurisdicçãoe in foro interno, carent etiam iurisdicçãoe in foro externo: non enim potior est ratio pro una quam pro altera.*

3. Celestinus in epist. ad Orientales Episcopos hæc habet: *Si quis ab Episcopo Nestorio, aut ab aliis qui eum sequuntur, ex quo talia predicare cœperunt, vel excommunicatus, vel exutus est seu antistitis, seu clerici dignitate, hunc in nostra communione & durasse, & durare manifestum est, nec judicamus eum remotum; quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui se jam præbuerat ipse removendum.* Ex Celestino igitur, sententiæ excommunicationis & depositionis, latae à Nestorio, postquam hæresim suam predicare cœpit, ac proinde postquam factus est notorius hæreticus, nullæ fuerunt, non nisi defectu iurisdicçãois ecclesiasticæ in foro externo, cujus sunt actus; & consequenter, ex Celestino, Nestorius iurisdicçãoe Ecclesiastica in foro externo spoliatus est per notorietatem suæ hæreseos, per quam scilicet desit esse membrum Ecclesiæ, ac proinde & esse Episcopus talis Ecclesiæ particularis, à qua idcirco, etiam implorato seculari brachio, removendum se ipse præbuit.

4. Nicolaus I. in epist. 7. ad Michaellem Augustum hæc scribit: *Aperit Sedes nostra sanxit auctoritas, nullum, siue Episcopum, siue Clericum, seu professione aliqua christianum, qui à Nestorio, vel ejus similibus, ex quo talia predicare cœperunt, vel loco suo, vel communione defecti sunt, vel defectum, vel excommunicatum videri: sed hi omnes in nostra communione & fuerunt, & hucusque perdurant: quia neminem vel decipere, vel removere poterat, qui predicans talia tubabatur. Sedes igitur Apostolica per Celestinum Pontificem, hanc regulam sanxit & confirmavit, quod nullus*

nullus hæreticus, post notorietatem hæresis, possit excommunicare, vel deponere, aut alios quoslibet jurisdictionis ecclesiasticæ actus validè exercere; quia videlicet omnis hæreticus, cuiuscumque dignitatis sit vel gradus, per notorietatem hæresis desinens esse membrum Ecclesiæ, hoc ipso excidit omni autoritate & jurisdictione ecclesiastica.

5. In decreto ad cap. Audivimus 24. q. 1. dicitur: *Sin autem ex corde suo novam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare capit, neminem damnare potuit; quia nec potest deicere quenquam jam prostratus: ligandi namque vel solvendi potestas, veris, non falsis sacerdotibus à Domino tradita est.* Christus igitur ligandi atque solvendi potestatem, hoc est, jurisdictionem ecclesiasticam instituit exercendam à veris sacerdotibus, id est, à sacerdotibus, qui fideles veræ doctrinæ pabulo nutrent, non à falsis sacerdotibus, id est, à sacerdotibus qui illos falsæ doctrinæ veneno inficerent, exercendam ab ovibus, quæ agnos suos pascere, non à lupis rapacibus, quales sunt notorii hæretici, à quibus discerperentur.

Quod autem de externa veræ fidei professione dictum est, intelligi debet de externa communione cum membris Ecclesiæ, & imprimis supremo illius in teris capite, Romano Pontifice. Nam notorii schismatici, qui cum Romano Pontifice communicare recusant, seu ab obedientia Romani Pontificis se subtrahunt, privantur hoc ipso omni jurisdictione ecclesiastica. Ratio est, quia non sunt amplius de Ecclesiâ, propter notorietatem schismatis, quo se ipsi separant.

Confirmatur ex cap. Nulli, distinct. 19. ubi hæc inter alia de schismatico dicuntur: *Sit erga ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris à sancto ministerio fiat* (hoc est, sit, ut patet ex verbis subsequentibus) *nec de ejus judicio quisquam postea curam habeat.* Certè si v. g. Episcopi notorii schismatici judicia contemni possunt & debent, manifestum est illum, per notorium schisma, autoritatem & jurisdictionem ecclesiasticam omnem omisisse: judicia enim superioris impunè contemni non possunt ab inferioribus, & Episcopus tandiu superior est, quandiu retinet autoritatem & jurisdictionem in foro externo.

Quæres. Utrum Prælatus ecclesiasticus, etiam per hæresim externam occultam amittat autoritatem & jurisdictionem ecclesiasticam in foro externo?

Ad hanc questionem satis communiter respondetur, amittere, non quidem præcisè propter hæresim externam, sed propter excommunicationem majorem, quam incurrit hoc ipso præcisè, quod signo aliquo externo internam hæresim exprimit, quamvis hoc faciat occultissimè. Additur tamen, validos esse actus jurisdictionis quos exercet, Ecclesiâ ad singulos actus defectum jurisdictionis supplente, vel etiam illi ad singulos actus, quando illos exercet, jurisdictionem necessariam transeunt conferente.

Malim ego simpliciter dicere, Prælatum ecclesiasticum non amittere jurisdictionem ecclesiasticam in foro externo per hæresim externam occultam, quandiu manet occulta. Ratio est, quia 1. cum hæresi externa, quandiu manet occulta, tam potest utiliter & convenienter administrare communitatem ecclesiasticam, quam potest cum moribus improbis. Unde ex hac parte hæresis externa, quandiu manet occulta, non magis repugnat jurisdictioni & auctoritati publicæ, quam morum improbitas.

2. Per hæresim externam, quandiu manet occulta, non separatur Prælatus ab Ecclesiâ: tandiu enim est membrum Ecclesiæ, quandiu exterius & publicè veram fidem profitetur.

3. Quandiu hæresis ejus externa manet occulta, tandiu etiam occulta manet excommunicatio, quam propter externam hæresim incurrit. At quandiu excommunicatio major occulta manet, tandiu suspenditur effectus ejus, quoad abscissionem excommunicationis, & privationem jurisdictionis Ecclesiasticæ: hoc enim postulat commune bonum Ecclesiæ, quæ mul-

tis & magnis perturbationibus esset obnoxia, si res aliter se haberet: omnes enim actus jurisdictionis essent incerti, si Prælatus ecclesiasticus per majorem excommunicationem, etiam occultam, abscinderetur, aut ecclesiastica jurisdictione spoliaretur.

Veritas hujus responsionis confirmatur autoritate Summorum Pontificum, Celestini & Nicolai I. locis supra laudatis, ubi, cum dicunt Nestorium non potuisse validè exercere actus jurisdictionis episcopalis, postquam hæresim suam prædicare cepit, hoc est, postquam prædicatione sua notorius hæreticus factus est, manifestè significant potuisse, antequam notorius hæreticus esset. Ratio est, quia quandiu Nestorius fuit hæreticus occultus, tandiu fuit membrum Ecclesiæ, & quandiu fuit membrum Ecclesiæ, tandiu fuit caput morale seu Episcopus Ecclesiæ particularis sibi commissæ, & quandiu fuit caput morale seu Episcopus Ecclesiæ particularis sibi commissæ, tandiu habuit jurisdictionem episcopalem, quantumcumque propter hæresim externam occultam excommunicatus esset excommunicatione majore: tandiu enim occultè excommunicatus, ex natura rei, non quidem de jure, sed de facto, non merito, sed numero est de Ecclesiâ, & membrum illius, quandiu exterius veram fidem proficitur, & communicat cum aliis Ecclesiæ membris, & ejus capite Romano Pontifice; & quandiu sic est de Ecclesiâ, tandiu retinet jurisdictionem suam, & usum ejus, quamvis illicitum.

ARTICULUS III.

Utrum ad valorem legum humanarum, requiratur acceptatio majoris partis communitatis.

RESPONSIO.

AD valorem legum humanarum, sive civilium, sive ecclesiasticarum, quæ feruntur absolute, non requiritur acceptatio majoris partis communitatis.

Prob. Nam ex natura rei legitimi superioris præceptum, absolute impositum, subdum obligat independentè ab ejus acceptatione. Ergo similiter lex à legislatore legitimo absolute lata, obligat communitatem independentè ab ejus acceptatione: sicut enim præceptum superioris se habet ad inferiorem, quantum ad vim obligandi; ita & quantum ad vim obligandi lex Principis se habet ad communitatem, ut per se patet.

Dixi autem, absolute lata, hoc est, lata cum intentione statim obligandi. Nam legislator, etiam supremus, ferendo legem, posset nolle illam obligare ante consensum majoris partis communitatis; & si reipsum noller, ante consensum illum non obligaret. Jam verò quandonom legislator non intendat legem suam obligare subditos ante consensum majoris partis communitatis, certò colligi potest ex verbis quibus utitur in lege sua, & verisimiliter ex modo quo se gerit cum subditis ejus legem non obervantibus.

Quod si communitas aliqua, aliquid sibi constituendo principem, sibi, quod revera potuit, facultatem reservavit acceptandi vel rejiciendi leges ab eo latis, leges ab eo latis non obligant communitatem, nisi post acceptationem partis saltem majoris. At 1. de tali legislatore non agitur hic. 2. Talem esse aliquem legislatorem, nec nisi diminutam, & à populi arbitrio pendentem accepisse legis condendi potestatem, nisi id ex communi usu, aut aliunde constet evidenter, dici non debet. Ratio est, quia, si nihil evidenter obstat, semper præsumendum est legislatores à communitate accepisse talem leges condendi potestatem, qualis moraliter requiritur ad publicam felicitatem efficaciter procurandam. Atqui ad hunc finem moraliter requiritur potestas condendi leges absoluta, & independentè ab acceptatione populi. Ergo, &c.

Ex his autem facile resolvitur hæc quæstio, utrum lex absolute lata, debeat servari à minori parte, quando non servatur à majori parte, licet deteriore. Nam